



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 44. Tunc ait illis tristis est anima mea usque ad mortem. v. 40.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

Plissime Domine, qui a deo tristari & mæstus esse voluisti & pati propter peccata nostra & nobis peccatoribus monstrare veram viam pœnitentiæ, concede mihi etiam indigno famulo tuo & maximo peccatori & tantum vitæ spatium & talem affectum, quo ad mensuram iustam omnia peccata mea valeam deplorare, & per gratiam & veniam & misericordiam tuam consequi merear.

§. 44. Tunc ait illis *tristis est anima mea usque ad mortem. v. 40.*

Ubi iam in hortum Christus venerat *cepit contristari & mæstus esse, pavere etiam & cadere*, nempe ex doloris interni vehementia extrinsecus membris omnibus miserabiliter contremiscere: Et hanc ipsam tristitiam, infirmitatem & naturæ afflictionem non erubuit confiteri discipulis suis, dicens; *tristis est anima usque ad mortem*. Pergamus nunc videre amplius, quæ nam sit tanti causa doloris. & quidem multas ob rationes ita contristatus est Dominus, sed modo duas placet attingere quæ nos vehementius ad compassionem pariter & amorem accendant. Prima igitur causa fuisse nostra gravia multipliciaque peccata, obstinata malitia, ingens ingraticudo & quod omnis eramus divini timoris expertes; ob ista sic doluit pius Jesus: Enim vero & legimus & experientia comprobatum est, si quem Deus permitteret videre peccata sua, sicut ipse ea videt, præ dolore mox rumpendum esse cor illius, aut eum sensibus desituum, ubi aspiceret quam indigna sit iniuria, contemptus, vilipensioque, qua peccans affecit creatorem ac redemptorem suum Deum ac Dominum suum & quam turpiter simul quamq; indigne deformavit speciosam ac nobilem illam Dei imaginem, animam suam. Et certe Christus omnia mundi peccata in se receperat tantumque pro illis ultro sibi assumpsit dolorem cordis ac si ipsa ea perpetrasset, & quia per diurnam, cunctaque perspicentem sapientiam suam universa, maxime abominanda, quæ unquam facta sunt & deinceps fient, peccata cernebat, simul aspiciens contemptum & injuriam quæ per hæc cœlesti patri suo erant irroganda incredibilis in illo, patris amantissimo corde, agonia fuisse æstimatur. Quis enim ulla possit ratione comprehendere quantam mœrorem doloremque pertulerit, quod semper universis viribus suis ad honorem patris promovendum ferebatur, nec aliquid aliud sitiebat nisi honorem patris & salutem animarum, Apud Iudæos quidem mos erat ut si Dei blasphemiam aut injuriam audissent in signum doloris vestimenta scinderent, ut hoc facto, Dei se honorem quærere demonstrarent, quod si facti & hypocritæ Iudæi id fecerunt, quantum putamus discissum fuisse cor a-

man-

tantissimi istius Dei filij ubi omnem injuriam & contemptum vidit, qui in dies singulos cœlesti patri infertur? Nam, pro dolor! quotidie nimium videre licet, quam nihili ducant homines Deum exitalibus etiam sibi ipsi peccatis offendere. Hac igitur de causa tantum Christus dolorem & mœrorem suscepit, in argumentum doloris sui quo ardebat, & is demum omne perripit corpus suum ita ut sudor sanguineus ex cunctis membris illius præ nimia angustia & tremore, velut humor ex uva fortiter pressa, erumperet. Et ut ostenderet nobis mœrorem hunc interiores absumere medullas animæ suæ mortis correptus angoribus dixit. *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Quantopere agnus innocens patrem nobis reconciliare laboravit nimirum sicut mater ingenti cum dolore & tristitia infantem editum hunc mundum, ita Christus verè cum tormento & cruciatu intolerabili regeneravit nos in vitam æternam.

O anima mea & vos omnes qui diligitis Deum venite, sequamur modo afflicto corde & intima devotione cum lacrymis & compassione mentis Christum Jesum in hortum, contemplemur oculis cordis Iesum, Salvatorem nostrum, agnum sine macula, uti hic portavit omnia peccata nostra, quam graviter solus torcular calcaverit ut instar uvæ gravissimè expressæ in passionis torculari sit depressus, fundens nobis largiter atque bibendum porrigens vinum rubeum pretiosi sanguinis sui ut nos suo faceret amore ebrios. Conspiciamus quæso ut Angelorum gloria ad mortem usque tristata sit, quo nos ad æternam proveheret lætitiâ ex infelicitate, & ex ignominia filiorum Adam ad exultationem in gloria.

§. 45. *Et progressus pusillum procidit in faciem suam. v. 41.*

Ob tristitiam quam corde gerebat, & gravedinem cogitationum suarum non valens conversari diutius cum suis, ad patrem sese convertit, proicit se in terram uti pauperrimus coram eo abjectissimus, desolatissimus quem mundus habuerit, homo.

En jacet, O homo, Deus tuis vultu terræ affixus, in multâ spiritus angustia, sanguineo perfusus sudore, derelictus & à patre & ab hominibus universis, jacet inquam non ut Deus, non ut justus quispiam, sed ut homo publice flagitiosus, ut immanis peccator, tanquam indignus sit, qui à patre audiatur, aut certe tanquam aliquis qui erubescat levare in cœlum oculos suos, plane ut proiectus à Deo & inimicus Dei habitus, ut nos qui inimici eramus amici & electi Dei efficeremur,

ODO-